

PRÆNOTIONES  
 CONTRA UNIVERSARIOS  
 OS CUSTODIENDÆ.

## PRÆNOTIO I.

DESCENDIMUS ad *Universarios*, quo nomine eos nuncupamus Naturalistas, qui Deistis proximi, ita de universitate rerum docent, ut illa vel Deo non indigeat, & ab illo vere non dependeat, vel cum Deo turpiter confundatur, quo posteriori respectu etiam Deistas eosdem appellari posse non diffiteor. Horum in classe Ocellus Lucanus eminent, cui τὸ πᾶν, sive *universum*, perpetuo in ore est. Prima contra hanc factionem Prænotio hæc custodiatur, *non omnia, que dantur, æterna & infinita esse.* Nemo miretur ita delirare Spinosam, atque *Lib. I. Ethicæ, Prop. XXI.* docere, quod omnia, quæ a Deo sint (sive ex phrasi perditæ hominis, quæ ex absoluta attributi natura sequantur) æterna & infinita sint; atheus enim est, cui absurda *ταλανταῖα* concoquere suetum est: atque huic Car. Bluntius in *Oraculis Rationis* adstipulatur. Xenophanem vero, Melissum & Parmenidem inter præscos eo errore fascinatos fuisse, Aristoteles & Eusebius commemorant, & Ocellum Lucanum ita sensisse ejus liber de natura universi evincit. In eundem inclinasse portentosos Aristotelicos, Algazelem, Piccolomineum & Cæsalpinum, manifestum fiet perlegenti, quæ Nic. Taurellus  
 justo